



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCLXXIII. De Destructione Castri Otkaym prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CCLXXII.

De

Fratre Conrado Magistro Pruschiæ.

FRater Conradus Saccus Magister Pruschiæ XVI. præfuit 6. annis. Hic multum fuit homo affabilis & in omnium oculis graciosus, ut verè posset de ipso dici, quod dilectus fuit DEO & hominibus. Qui tandem fatigatus laboribus & debilitatus infirmitatibus officium suum resignavit, habitansque in Castro Golubo (a) quod ipse comparavit, mortuus est, & sepultus fuit Colmense in Ecclesia Cathedrali.

ANIMADVERSIO.

(a) Supra cap. 261. jam facta est mentio castri Golubæ. Sine dubio itaque Conradus Saccus illud Castrum condidit, antiquam esset in Magistrum electus. Aut hoc de instauratione tantum intelligendum est.

CAP. CCLXXIII.

De

Destructione Castri Ottkaym prima.

Hujus Magistri tempore Anno Domini MCCC. quidam Lethovvinus dictus Drayko Castrensis de Oukaym dolens, se tamdiu fraude Diabolica deceptum, volensque Idolorum culturâ postpositâ Dei veri & vivi servitio mancipari, secretè filium suum Pinnonem misit fratri Wolrado Commendatori de Raganita supplicans humiliter & devotè, ut ipsum à gentilitatis errore & infidelium manibus

Anno Domini MCCC.
Cometa apparuit in septembri in Occidente, in signo scorpionis, quod est Domus Martis, qui aliquando emittebat Comam ad Orientem, aliquando ad meridiem & apparuit in sero.

Hoc tempore Andreas Rex Hungaria moritur, & post multas altercationes

Xx 2

110-

bus liberaret. Qui Commendator de consilio Magistri cum Exercitu processit contra Castrum Oukayn, & ecce mirabilis DEUS in omnibus operibus suis, cujus providentia hoc summè necessarium ordinavit, quod dum fratres ad impugnandum dictum Castrum accederent, ipsa nocte vigilia & custodia castrum dicto Draykoni competebat. Unde appropinquante Exercitu fratrum, Portam Castrum secretè aperuit; & fratres intrantes omnes præter unum, scilicet filium Sudargi, graviter tamen vulneratum, occiderunt. Captis mulieribus & parvulis & Castro cum suburbio funditus cremaverunt, dictusque Drayko deductus usque Raganitam cum tota familia est baptizatus.

tionem inter Ducem Bohemiam & Ducem Austria habitus Karolus Martellus Regnum Hungariae obtinuit

Eodem anno Albertus Rex Romanorum prevaluit in bello contra Ducem Bavariae & Moguntinum & Coloniensem Archiepiscopos.

CAP. CCLXXIV.

De

*Morte fratris Gundrami & plurimum
Lethovvinorum.*

Eodem anno frater Gundramus, homo staturâ pusillus totus tamen animosus & virilis cum IX. armigeris sequebatur latrunculos Lethovviae, qui decem homines & totidem equos spoliaverunt in districtu Castrum Christburg, & dum eos in deserto invaderet, in primo congressu quidam Lethovvinus ipsum cum lanceâ vulneravit, sic quod viscera ipsius effusa fuerunt, nec tamen destitit ab incepto bello, quousque Lethovvini omnes essent interfecti, & tunc cecidit & expiravit. Quem dum mortuum armigeri sui ad Castrum Christburg deducerent, mulieres, quæ per eum de manibus infidelium redempta fuerant, asser-

rebant